Opuscula

MAJUS

In Coronamentum Emeritæ Virtutis

Perillustris olim Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. MARTINI KUROWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS, & PROFESSORIS, Ecclesiarum; Collegiatæ Sancti FLORIANI ad Cracoviam, & Parochialis Vieliciensis PRÆPOSITI, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis PROCANCELLARII, & SENIORIS PATRIS, Viri de Ecclesia & Literis Meritissimi,

REFLORESCENS;

dumq; Justa Ei Parentalia in Ecclesia Collegiata S. FLORIANI ad Cracov: *Magno cum dolore omnium persolverentur;*

PER

M. ANTONIUM JOSEPHUM ZOŁĘDZIOWSKI,

Philosophiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, Collegam Minorem, interea Artisticæ Facultatis DECANUM, in brevi folio, lugubrî calamô

EXPLICATUS.

Annô Domini 1745tô Die 5tâ Maji

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

MAJUS
In Coronamentum Emeritæ Virtutis
REFLORESCENS.

QUotquot homines Menſes vivimus,
Apriles ſunt,
Laborum & meritorum Aperiles.
Etiam Julios & Auguſtos vivas, Apriles ſenties.
Belli Palæſtram, laborum theatrum, meritorum campum
quisq; aperit.
Anni alius, Veris & Æſtatis alius,
unuſquisq; operoſæ vitæ hominum janitor eſt.
Nec mirùm:
Quamdiu ſumus in vita, tamdiu in via;
in Scæna Actores,
in bello Milites,
in Stadio Athletæ.
Nulli terminalis Herculis Columna figitur,
metas operum noſtrorum ponimus,
& ad prima principia fit regreſſus.
Ad portum appellimus, & à littore provehimur,
coronatas puppes ſiſtimus, & ſolvimus.
Aliàs,
Parentheſim ſemper incipimus,
& niſi tumulô claudamur, non claudimus.

Non

Non ſemper tamen poſt conſumatos vitæ Apriles refloreſcimus;
Non floret tumulus ſi vita non gemmat,
hæc ſi ſit emarcida, non eſt Veris prodroma, nec parens.
Novembres alijs, vel Decembres ſuccedunt,
Majus ſe in Coronamentum meritorum explicat,
Perilluſtri olim Clariſsimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MARTINO KUROWSKI,

SacræTheologiæDOCTORI & PROFESSORI, Eccleſiarum; Collegiatæ Sancti FLORIANI & Vielicienſis PRÆPOSITO, Studij Generalis Univerſitatis Cracovienſis
PROCANCELLARIO & SENIORI PATRI.
Cujus vita fuit labore continua,
meritis fæcunda,
virtute ac eruditione æquè florida.

Sol erat ſive Virorum ſolus,

in ortu Nobilibus Majorum ſuorum Ceris illuſtris,
in curſu per laborum Academicorum Eclipticam
nunquàm ſtationarius vel retrogradus,
in occaſu plena meritorum auge rutilus.

Apex Doctorum,

ingeniô profundus, penetravit & Abyſſum,
Eruditione ſublimis, attigit quod in Summa THOMÆ ſummum eſt.
Non tamen elatus vixit.

Fastigium ingeniorum tenuit,
digna fastîs immortalibûs egit,
fastum ignoravit.
Procera Magnorum meritorum moles,
sed profunda.
Nucleus virtutis,
sine cortice tumoris.
Sub modestiæ velo Imago virtutum,
sub cortina Academicus Tripos,
Thesaurus Sapientiæ in abscondito,
Gemma in concha,
Lux in umbra.
PROFESSORVM Idea & Exemplar,
laboravit ut solent optimi,
sudavit ut solent pauci.
Septuaginta octo annis vixit,
quinquaginta tribûs PROFESSOR docuit,
& vel solus eruditum sæculum fecit.
Plures Orbi Literario annos impendit, quàm sibi,
& tantùm de literis meruit,
quantum multi optant, pauci assequuntur,

Optimus Magister,

ut verè disciplinatos Discipulos fecisset,
Humaniora docuit, Divina non neglexit,
cum Literis pietatem instillavit,
ingenia excoluit, & Divino Cultui mancipavit,
non minùs Deabus Musis, quàm DEO devota fecit.

Eô Magistrô

Scholæ

Scholæ Pietatis Palæstræ,
Deæ Palladis Delubra,
Artium Pantheon,
Veri Numinis Templa.

Illo Apolline,

Musæ Virgines,
Pura Castalis,
Parnassus Sacer,
virtute & eruditione bicollis.

Hôc Mercuriô

didicerunt esse Oratores Sacri,
Eloquentia non profana,
Auditor virtutis studiosus.
Ex æquo enim benè dicendi & benè vivendi artem professus,
quod ore docuit, opere persvasit,
eloquiô facundus, fæcundus exemplô.
Mella in Sacris Exedris locutus;
ut vitia amarescerent;
sales, ut gustum honesti acueret.
Non admisit colores, ubi nuda veritas dicenda erat,
ubi virtutum habitus commendandi,
ornatum verborum adhibuit.
Absolutissimus omnibus numerîs Orator,
Philosophorum Princeps,
in disceptando subtilis,

 in redar-

in redarguendo acutus,
in retorquendo nodoſus,
in abſtruſis evolvendis planus.

Hoc Stagyritâ

Academia noſtra Stoa fuit, & Peripatus,
non quærebat Polonus Athenas,
non appetebat Græciam,
Sorbonam Cui originem debemus, ſcivit;
non petiit.
Ille primis Cathedris Doctores dedit,
Sacris Religionum Cætibus Magiſtros,
Regno Scientiarum eruditos.

Culmam teſtem voco,

quæ meritorum Ejus plenus culmus eſt,
& laudis faſtigium.
Illi debet, ſi quod gloriæ culmen obtinet,
collibûs nativîs eminet,
eruditione tanti Viri attollitur.
Vel hoc Principe quondam Subjecto
Regalis Civitas,
Nobile Pruſſiæ Emporium
quòd in eam omnes divitis ingenij gazas invexerit;
Audiret diutiùs hos titulos,
ſi ad Mare unde hic Fons emanavit, recurreret.
Nec Eum Fontem dicere quidquam prohibet,
ætate niveus,
rectitudine candidus,

Fons illimis,

Effuſus doctrinâ in omnes Profeſſor,

Fons irriguus.

liberalitate

liberalitate in indigos,
Fons exuberans,
reconditâ sapientiâ
semper plenus.
Nilum diceres,
nulli Eum etiam in origine licuit parvum videre.
In septem se Ostia diffudit Artium Professor,
in mille sinus Theologus.
Idest, epotô Marî Theologicô
Oceanus fuit,
commune scientiarum receptaculum,
non effluvium.
Multi vix prælibant hoc Mare,
dubito, si gutta in eo fuit, quam non exhauserit;
totum se tam vasto Capiti infudit,
nec illud obruit.
Alii littus nisi arant,
emensus est Ille integrum,
difficultatum vada evasit.
Typhis circumspectus, Ulysses cautus.
Scivit compescere fluctus,
sedare procellas,
expandere vela & contrahere,
committere Classem Euris, & se illis opponere.
Hæc meritorum Ejus materia est,
redacta ut Orbis in mappam,
Homeri Ilias in nucleum,
Ægypti pretium in Antonii gemmam,

radii Solis in cryſtallum,
ſed ſine forma ſibi adæquata.
Omne auguſtæ Virtuti Stallum
anguſtum fuit,
nulla meritis par Dignitas,
Honorum quivis exiguus.
Et hos tamen mereri maluit, quàm habere.
ſi ad numerum meritorum darentur
debebantur Ei primi,
Si ad æqualitatem virtutis, ſummi;
niſi oneroſos acceptavit.

Vieliccienſis Præpoſitus,

quidquid boni Paſtoris eſt, implevit,
docendo, Gregem Domini pavit,
vigilando, Lupos arcuit,
ſolùm deglubere Oves neſcivit,

Eccleſia Sponſa

erat Eô Virô ornatiſſima.
intùs & forinſecùs culta,
collapſa in ea erexit, ruinoſa inſtauravit,
quod deerat ad magnificentiam
ære proprio ſupplevit.

Dubites,

Utrum? Beneficium illud accepit, vel fecit.
Viginti tribus annis ei præfuit & profuit,
quas

quas prævidit necessitates, providit singulis.
Totum se bono illius impendit Ecclesiæ
sed & alteri non defuit,
ut Præposituram Collegiatæ S. FLORIANI in flore reliquisset,
& sudorem & imbres aureos fudit.
Universitatis PROCANCELLARIUS.
Metire magnitudinem!
ex Vicaria Eminentissimi CANCELLARII Potestate.
Solis vices Luna obiens Luminare Magnum,
Eminentiæ, Virorum Summitas.

Senior Pater.

Metire merita!
crescebant in horas,
multiplicabantur in momenta.
Vitæ Ejus dies consumati omnes,
non consumpti.
Nullum perdidit sine merito
quod conquerebatur Titus,
nullum sine rectefactorum linea transire fecit,
ut Apelles.
Si gesta illustria spectes,
quisq; dies Solis,
si eruditionem Mercurii.
Ter Universitatis RECTOR.
Fasces Eruditorum tenuit,
Doctis scitè imperavit,
Liberos rexit non serviliter.

Opus erat clementiâ,
aculeô ut Rex Apum caruit;
si tamen rigor extendendus,
ut Alituum Principi fulmen non defuit.
Severus simul & blandus,
ore gratias locutus,
sed districtum Justitiæ ensem strinxit manibûs.
Rerum Academicarum Stator Jupiter,
pro Juribus Universitatis stetit strenuè
pro incremento Studiorum fortiter,
pro gloria Gentis dexterè.

Valuit authoritate Domi,
Foris Magnatum gratiîs,
ubiq; gloriâ excelluit.

Exemplar futurus posteris,
nisi ea exhibuisset vivens,
quæ imitari vix audebunt summi, & maximi.

Vixit Universitatis decori,
Ecclesiæ fulcro,
Musarum commodis,
Clientum usibus.
Omnium amori vivus,
mortuus singulorum doloribus.
Justa illi exsolvunt, noti ignotiq; lachrymîs,
Musæ Præficas agunt,
Universitas vix in Nioben non abit, & saxum.

Mors unius,

communis

communis Bonorum jactura est,
& cæsura animorum,
publica tempestas & fatum.

Unicum doloris lenimentum,

quòd non ut ignavi solent, mortuus.
Ver virtutum, Autumnum meritorum vixit;
floridam in Aprili mortem obiit.
Majus parentat vitâ Vernantissimo
primîs Veris Honoribûs.
Laurearum Laureatorumq; Verticem
Cælum immortalitatis redimit laureolâ.
Floralia ergo locò funeris celebramus;
taxus, & Cupressi procul este.
Sacrorum Oratorum Hortensio,
Eruditorum Floro,
tumulum Aprilis aperuit,
Majus floribûs stravit,
grandævi Senis non decrepiti,
laboribûs fessi non fracti,
totô Chloridis Regnô
Emeritam Virtutem coronavit.

Alterum Argumentum

sedandi doloris, arcendi luctûs,
deponendi pullatos vultus,
& assumendi amænos,

Vos estis Magni PRÆSTITES,

Flos Virorum lectissimus.
Replicat se in Te Testamenti sui Tutore,

Perillu-

Perillustris & Reverendissime Domine,

D. M. MATHIA
ZIĘTKIEWICZ,
S. Theologiæ Doctor & Professor,
Collegii Majoris Senior Pater,
Ecclesiarum; Cathedralis Crac. CANONICE,
Parochialis Zarnovecensis PRÆPOSITE,
Librorum Diæcesane CENSOR, &c.
in Doctore Doctor,
in Cathedrali Canonico, primîs Cathedrîs dignus,
Pollux in Castore,
Expressa Sapientiæ species, in sui Archetypo,
Vniversitatis Atlas in Alcida,
& doloris materia minuitur.
Tibi verò

Perillustris Clarissime & Admodùm Rererende Domine,

D. M. ALBERTE
GOSZKOWSKI,
Sacræ Theologiæ Professor, Collega Major,
Ecclesiarum Collegiatarum; S. Floriani ad Crac:
Canonice, Vislicienssis Decane, Parochialis
Prosovicensis Præposite,
dum ultimam voluntatem commisit
magnam animæ portionem reliquit,
& se superstitem fecit.
Optimus Trajanus in bono Nerva

Sol

Sol in Parelio,
Palladis Corculum in Ocello.
Divisit & in Te suos affectus,
Clarissime, Excellentissime & Doctissime Domine,
D. M. JOANNES
PRZYPKOWSKI,
Philosophiæ Doctor, Ejusdemq; ac Matheseos Professor, Collega Major Vocate, Geometra Strzałkoviane Jurate,
Vir integerrimus, vitâ integro,
cerussam non amans, fuci experti,
Avitîs & ingenii Armîs strenuus,
generoso Militi sub Labaro.
Partitus est rerum derelictarum curam,
fideli,
Humanitatis ultima officia,
probato.
Vivere post fata voluit,
Vos adscivit Viros in quibus viveret.
Longævos omnes Testamentô optavit,
ut viveret in Vobis diuturniùs.
Nec est dubium quod immortalis vivet,
factîs, & meritîs,
gestorum famâ, & Nominis sui gloriâ.
Florebit in memoria hominum,
perennabit in affectibus.

Ibunt in occaſum Soles,
admittet Decreſcentem Luna,
occumbent Sidera toties,
oblivioni non ſuccumbet.
Trudet dies diem,
& tanti Viri merita alteri inculcabit.
Neq; gloriam occidere faciet,
neq; memoria excidere.
Vivet, ubi Ver perpetuum ad delicias vivitur,
perenne, ad oblectamentum indeficiens.
Vivet Majum in Patria,
quæ Florentia ſola eſt.
Immortalem Lauream capiet Theologus
Comprehenſor,
Viator æternam requiem.



